



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt episcopus hostilitate expulsus, ad aliam vacantem transeat ecclesiam.
cxxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

stentationibus libenter suscipere: non quidē vt per eom-
munionem episcopalis throni dignitatem, sed vt ab Ec-
clesia iuxta possibilitatem sufficientia debeant alimenta
percipere. Sic enim & proximum in Deo, & Deum in
proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos
in vestris Ecclesiis auctoritatem tribuimus, sed tamen eos
vestris solaciis contineri, summopere hortamur.

*De episcopis vel presbyteris ignotis, vt ante probationem
synodale ministrare nō permittatur. Cap. CXXII.*

*Ex cōcil.
Rotoma.
cap. 8.*

STatuimus secundum canonicam cautelam, omnes vn-
decunque superuenientes ignotos episcopos, vel pres-
byteros, ante probationem synodalem in ecclesiasticum
ministerium non admittere.

*Vt episcopus hostilitate expulsus, ad aliam vacantem
transseat Ecclesiam. Cap. CXXIII.*

*Ex regu.
S. Grego.
ad Agnel-
lum epif.
cap. 135.*

Pastoralis officij cura nos admonet, destitutis Ecclesiis
propriis cōstituere sacerdotes, qui gregē dominicum
pastorali debeant solitudine gubernare. Propterea te
Ioannem ab hostibus captiuitate Lisitanæ ciuitatis epi-
scopum, in Squillicina Ecclesia Cardinalem necesse du-
ximus constituere sacerdotem, vt & susceptam semel ani-
marum curam intuitu futuræ retributionis impleas, &
licet à tua, hoste imminente depulsus sis, aliam quæ pasto-
re vacat debeas Ecclesiam gubernare: ita tamen, vt si ci-
uitatem illam ab hostibus liberam effici, & domino pro-
tegente ad priorem statum contigerit reuocari, in eam,
in qua & prius ordinatus es, Ecclesiam reuertaris. Sin au-
tem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate
premitur, in hac in qua & à nobis incardinatus es, debeas
Ecclesia permanere.

*De episcopis quod omnes homines eis iure obedire
debeant. Cap. CXXIII.*

*Ex decre.
Clemētis
papa, ca.
15.*

OMnes principes terræ & cunctos homines episcopis
obedire, & capita sua submittere, eorumque audi-
tores existere præcipiebat, vt omnes pariter fideles, &
cooperatores legis Dei monstrarentur, ne de eis dicatur:
Confundentur & erubescant omnes qui pugnant aduer-
sum te, & erunt quasi non sint, & peribunt viri qui con-
tradidunt tibi. Quæres eos & non inuenies viros rebelles
tuos, erunt quasi non sint, & veluti consumptio hominis